Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8269
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Cumq; ad commodum sensum atq; idoneum dicta uerba (: das Lehen nach Lehens recht :) accommodari possint, ideo censeri etiam debent, huius tantum sensus respectu prolata esse, verba enim debent intelligi relata ad eum casum, ad quem possunt rectius accommodari. Alex: in L. Centurio. n. 96. ff. de vulg: & pupill: Ceph: cons: 339. n. 12. & alij passim.

Nec refragatur id, quod Joann: Baptist: Vincemala in cons: 1. n. 43. & 44. inter consilia Feudalia uariorum authorum, scribit, verbum (: confirmamus :) diuersimode significare secundum naturam bonorum ut respectu propriorum liberorum & allodialium confirmet in propria, libera & allodialia, respectu uero feudalium confirmet in feudalia.

Nam & hoc casu ista uerba (: das Zigen nach Zigens recht, das Lehen nach Lehens recht :) apertissime inducere diuersam alienationem, scilicet, ut allodialia pleno Jure, feudalia autem tantum Jure Vtilis Dominij alienata censeantur, nemo negat. Caeterum quo minus dici possit his uerbis (: das Lehen nach Lehens recht :) feuda secundum propriam naturam alienata intelligi, multis rationibus est demonstratum. Idq; etiam ipse Johan: Baptist: Vincemala. d. cons: 1. n. 44. ad fin: probat, scribit enim potestatem alienandi feu-

da